



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 4. De vltima cœnæ, quam Christus cu[m] Discipulis instituit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)



# MEDITATIO

## QUARTA.

DE VLTIMA CÆNA, QUAM  
*Christus cum discipulis instituit.*

EVANGELIUM.

*Matt. 26.*

*Marc. 14.*

*Luc. 22.*



**E**T cum facta esset hora, discubuit IESVS cum discipulis suis, & ait illis: Desiderio desideravi manducare hoc pascha vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

PROPHETIÆ.

*Prov. 9.*

**S**APIENTIA immolauit victimas  
*suas,*

*suas, miscuit vinum, & proposuit men-* Prou. 9.  
*sam suam.*

*Filij tui sicut nouella oliuarum in cir-* Psal. 127.  
*cuitu mensa tua.*

## CONSIDERATIONES.

**C**VM tempus esset, discubuit IESVS *1. Punctū.*  
cum duodecim. Vide, vt sedeat in-  
ter seruos, Dominus: inter discipulos,  
Magister: Pater, cum filijs: & cum di-  
lecto grege suo, Pastor: Erat inter illos  
non aliter, ac mansuetissimus agnicu-  
lus, inter mansuetas ouiculas: quorum  
gregi se rapax ille lupus, & rabidus canis  
Iudas proditor quoq; immiscuerat. Mi-  
suauissime IESV, non fuit fatis trucu-  
lentam hanc belluam in tuo contuber-  
nio tolerasse, nisi etiam huic extremæ  
carnæ, quam institueras ad exiguam  
tuam cū discipulis exhilarationem, in-  
teresse permittas, vt felle suæ improbi-  
tatis, dulcissimæ conuersationi vestræ,  
acerbitatem aspergat? Facile apparet, te,  
vt nobis puras & liquidas consolationes  
dares, voluisse, vt tuæ omnes mistæ es-  
sent amaritudine.

O Sancti Apostoli, ô Principes orbis  
terræ, qui nunc in tantis gaudijs, cum  
vestro Magistro cōuiuium initis, parate

C

VOS

vos, arripite scutum, armate vos forti & constanti fide. Iam intra paucas horas, in medio armorum hostibus cincti stabitis. Sed vos tum timore victi fugietis, & bonum illum Pastorem, inter rictus & unguës furentium luporum deferetis.

Accedamus & nos, anima mea, ad coenam hanc. Hac enim nulla unquam in orbenobilior, nulla preciosior. Quamquam enim in speciem minus lauta videatur: tamen intus in illa latet, quicquid opulentum, bonum, iucundum, pulchrum in cælo vel gustari, vel videri potest. Quam ego me beatum putarem, si dignus fuisset in hoc conuiuio interesse, in aliqua re ministrare Domino meo Redemptori, colligere micæ, quæ diuinis illis manibus deciderent; aspicere diuinam illam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, audire ex ore Verbi æterni verba dulciora fauo & melle! Profus existimo, futurum fuisse, vt non possem me continere, quin in terram, ad sanctissimos pedes procerem, eosque, quod Magdalena fecit, lacrymis rigarem. Sed & tu benignissime Domine, quem admodum non illam, sic neque me contemisti, quamuis propter peccata indignum. Nam cum

me tam inopem vidisses, aperuisti misericordiæ tuæ viscera, & mihi non minus, quàm discipulis tuis præbuiſti cibum aliquem spiritualem.

*Desiderio desideravi*, ait ad discipulos Christus, *hoc pascha manducare vobiscum*. Manducauerat & aliàs non semel cum discipulis Agnum, & fecerat Pascha: nunquam tale quid locutus est. Iam verò duæ erant causæ, quibus tantum desiderium accendebatur: altera propter cibum, quem statuerat illis iam dare: altera propter semetipsum, quod se illis daturus esset. Nam aliàs in peragendo Paschate, agnum assum, cum ipsis comederat, & panes Azymos, quæ lege præscripta erant: in hac cæna iam non umbras & figurâs; sed seipsum verum agnum, figuris indicatum, dare constituit. Hoc itaque erat desiderium Christi, vt ceremonijs antiquæ legis finem imponeret, simul initium faceret nouo Paschati, in quo non iam typicus Agnus, sed verus ille, qui tollit peccata mundi, sacrificaretur & manducaretur. Altera erat causa, quod hoc tandem Paschate, expleturus esset plenum illud amoris desiderium suum, quo se ipsum cum homine totum, quibuscunque modis fieri posset, communicaret.

Cum autem vsque eò se homini dedisset, vt carne eius se vestiret, quò commodius inter nos versari, & ad se nos posset attrahere, restabat aliud nihil, ad perfectam nostri transformationem, qua vnum ipsi efficeremur, nisi vt se etiam nobis daret in cibum. Itaq; cum benignissimus IESVS, triginta annis, quasi ardentissimè sitiens cucurrisset, vt nos liberaret è potestate Diaboli, vt reduceret ad suum ouile, vt amissam salutem restitueret: videns tandem aliquando venisse diem illum, quo sitim omnium desideriorum suorum restingueret; his vocibus intimam animi sui lætitiã voluit indicare.

Sed, ô benedicte IESV, ij quidem qui manducaturi sunt hoc Pascha, causam habent maximorū gaudiorum, dū in memoriam reuocant singulare illis à te præstitum beneficium: tibi verò qui Agnus ipse es, cum tanta crudelitate, pro salute mundi mactandus & occidendus, doloris potius & tristitiæ debet esse causa. Nimirum video, mi suauissime Domine, hoc tuum desiderium, ex vehementia amoris ergà me nasci: quò fit vt magis sit tibi cordi, & acrius te premat meum bonum, quàm tuum malum, vt plus voluptatis capias ex  
mea

mea salute, quam tua morte effecturus es, quam doloris ex ipsa morte, quam subiturus es. O desiderate cunctis gentibus, quantum inter tua & nostra desideria interest! quam longè omnes omnium amores tua caritas antecellit! Beatae in caelo mentes desiderant aspicere in faciem tuam, sed ut ex hoc adspectu gaudium capiant & felicitatem: Patres antiqui desiderabant aduentum tuum, sed ut salutem & vitam à te acciperent: tu verò desideras nobiscum esse, non cōmodi alicuius tui gratia, sed tantum ut pro salute nostra supplicia & mortem perferas.

Deinde addit Dominus, non se amplius cum discipulis manducaturum hoc Pascha caeremoniale, in quo Agnus ederetur, & vinum biberetur tantum in figuram, donec adimpleretur in regno Dei, id est, donec sua morte deuicto peccato, & resurrectione sua iustificatis nobis, inciperet in sua Ecclesia regnare. Tū enim celebraturus est cum illis, nouum illud & perfectum Pascha, quo pascet illos vero agno, suo scilicet precioso corpore & sanguine. Tum vmbrae in lucem, figuræ in veritatem, lex in Evangelium commutabitur. Tum demisso caelitus Spiritu S. incipiet mundus aper-

tè intelligere, Christum fuisse verum filium Dei, Regem cæli & terræ, tum regnū eius spirituale incipiet amplificare, & suis finibus totum orbem terrarum amplecti: quo tempore fidelis populus (vt est in Actis Apostolorum) cepit cum singulari alacritate & simplicitate, frequenter hunc viuificum panem, in S. Sacramento sumere. O felix regnum! o beatos, quorum Dominus est Deus, & Rex ipsorum! qui digni sunt habiti assidere ad illam mensam, in qua cum suo dilecto IESU faciunt Pascha, in quo ipse est qui inuitat, ipse qui suis manibus ministrat, ipse cibus, qui nos pascit, ipse denique, qui per hunc cibum se nobis vniendo vnā nobiscum epulatur. Agnosce homo dignitatem tuam, agnosce verum amatorem tuum, & redemptorem tuum; & caue, ne tantis beneficijs sis ingratus. Quod si nihil habes aliud, quo respondeas huic benignitati, gratias saltem age, & tantum amatorem tui vicissim ama.

## COLLOQVIVM.

ORABIS Christum D.N. vt quemadmodum in illo cenaculo cum discipulis cænam instituit, sic in tua anima donis Spiritus S. velit cænaculum parare



re grande, stratum; quo ipse venire ad habitandum, & tecum cœnare dignetur. Ut cum illo vinculis caritatis coniunctus, possis adiuuante ipsius gratia semper cogitare & facere omnia, quæ Maiestati ipsius grata sūt, quæ ijs contraria odio persequi, & vitare: vt denique in his rebus ad mortem vsque persistens, dignus habearis beata illa cœna nuptiarum agni, ad quam electi omnes vocati sunt.

DOCUMENTA.

1. **C**HRIſTUS dum canat, & discipulis suam caritatem ostendit, Iudam non excludit, à quo se venditum sciebat. Sic nos à beneficentia nostra neminem omninò proximorum debemus excludere, sed benefacere omnibus: & non minus pro ijs, qui nos odio, quàm qui nos amore prosequuntur, orare.
2. Non abiiciendus est animus, si quando desiderijs nostris continuò Dominus non satisfacit: etiamsi bona illa & sancta sint. Nam & ipse Christus tot annos expectauit, antequam salutem nostram, cuius tanto aestuabat desiderio, nobis conficeret.
3. Christus non ignarus, vel quàm misera esset hac vita; vel quàm optabilis ipsa

40 MEDITATIONES

Et preciosa mors: semper vitam fastidiebat, mortem exoptabat: At nos caci, qui nihil aliud dulces aut prestans iudicamus, nisi quod oculis cernimus, Et nimium horremus mortem, Et vita cupiditatem immensam fovimus.

4. Porrexit discipulis calicem Christus, ut eum inter se dividerent. Calix hic celestias Et res adversas huius vita indicat, qui voluntate Christi inter nos dividendus est. Ut scilicet alter alterius mala doleat, alter alterius onera portet, alter alteri, cum res postulat, sit subsidio. Ita si faciamus, implebimus legem Christi, qua de re Apostolus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

5. Promisit Christus Apostolis, tum se perfecte manducaturum cum ipsis Pascha, cum in sua Ecclesia regnum obtineret, quod nunc omnibus fidelibus prestat: cum enim digne sacra mysteria sumunt, epulantur ipse cum illis tanquam membris suis. Quod si igitur tanta hominis Christiani dignitas, quanta est manducare Christum, non movet nos ad huius mensa frequentationem: moveat saltim quod Christus nobiscum manducet: ut die illa iudicij extrema possit dicere: Venite benedicti, quoniam esuriui & dedistis mihi manducare.

Matt. 25.

DE PASSIONE DOM. 41

6. Verus Pascha agnus, id est, Christus in Sacr. eo modo sumi debet, quo ille mysticus. Principio cum pane asymo sine fermento, id est, conscientia expurgata ab omni malitia & peccandi voluntate. Deinde cum lactucis agreibus, id est, cum acerbo dolore peccatorum. Tertio, succinctis lumbis, per continentiam carnis. Quarto calceatis pedibus, id est, affectibus liberis à rebus terrenis. Quinto cum baculis in manibus, id est, accurata custodia nostri ipsorum.

MEDITATIO  
QVINTA.

DE LOTIONE PEDVM.

EVANGELIVM.



ANTE diem festum <sup>IOANN. 13.</sup>  
Paschæ, sciens IESVS  
quia venit hora eius,  
vt trāseat de hoc mun-  
do ad Patrem, cum di-  
lexisset suos, qui erant in mundo,  
in finem dilexit eos. Et cæna facta,

C 5 facta,